



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 35. Auctores Ecclesiastici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

Sæculum II.
A. C. 193.

spargere cœpit, Martyrii gloria inflatus, quamvis nihil nisi carcerem, & modico quidem tempore, tolerasset; sectatores ejus dicti sunt Monarchici, quia, ne plura principia rerum omnium statuere viderentur, unam tantum in Deo Personam admittebant; alio nomine etiam Patropassiani appellabantur, quia Patri æque ac Filio crucis passionem attribuebant.

§. XXXV.

Auctores Ecclesiastici.

Eus. V. hist.
c. 33.

Plures ea tempestate in Ecclesia Catholica Scriptores numerare erat fama clarissimos, quibus merito accensendus est Rodon, qui origine Asianus Romam venit, fuitque Tatiani Discipulus; is multos libros scripsit, in quibus præter alia Marcionis hæresin oppugnabat; illo referente scimus, tunc temporis illam hæresin in plures sectas fuisse divisam, quarum Auctores nominat, & refellit mendacia; nominat senem Apellem, de quo mentionem fecimus, qui unum rerum omnium statuebat principium, Potitum etiam & Basilicum, qui duo principia ponebant, sicut ipse Marcion, & Syne-roem, cui non pauciora, quam tria rerum placebant principia. Rodon etiam Tractatum de opere sex dierum composuerat. Candidus, & Appion de eadem scripse-

Sup. lib. 3.
§. 35.

scripserant materia. Heraclitus in Apostolum fuerat commentatus. Maximus celeberrimam illam quæstionem de origine mali lucubraverat, probans materiam non esse æternam. Sextus opus de resurrectione concinnaverat, Arabianus de alia materia, multique alii, de quibus tempus certum non scitur, alia opera ediderant; omnium vero illustrissimus fuit Clemens Alexandrinus, qui jam anno secundo Severi Imperatoris, Jesu Christi centesimo nonagesimo quarto florebat.

Sæculum II.
A. C. 194.

Euf. ibid.
c. 19.

An. 194.

§. XXXVI.

S. Clemens Alexandrinus.

Vocabatur Titus Flavius Clemens, quem *Epiph. hæc.* non nulli appellant Atheniensem, ex ^{32. n. 6.} quo Athenis natum licet conjicere. Erat in litteris humanioribus instructus, in Philosophia præsertim Platonica versatissimus, tandem in sacris Scripturis, & Doctrina Evangelica doctissimus; quantum in his studiis industriam adhibuerit, ipse nos docet, dum in exordio Stromatum suorum ait: *Ut hoc opus scriberem, nullam partem habuit ostentatio. Est re-* ^{1. Strom. p. 274. ed. 1641.} *rum notatu dignarum thesaurus, a me collectus in subsidium meæ senectutis, innocuum oblivionis, aut malitiæ remedium, levis quædam delineatio virorum illorum beatorum, omnium memoria dignissimorum,*

Tt 3

quo-